





34. Antrai de l'union Propagande Kelly: Christ. lab ruce  
 35. Debelli Braki Inauguratio  
~~36.~~ 7. Entwurf von Labors Vorlesung  
 37. Denocring. Ungarische Gedanken über und Befreiung. Eschke  
 dieser Bericht von Spatig

M. s. 84

35  
 we

L. A. & Minneß  
 1831 oho

CP 11. 1. 540  
Recensionem de hae. Poesi Orphica Eschenbachii vide  
in dno Nachrufft von dno Lützow und dno Ulf.  
Dnu in dno Halleger Bibliothek. Tom. pag  
193. 174. Das Brief Besondere macht sich war.



10 9

CHRISTOPHORI CELLARII,  
Histor. Prof. P.

De  
**PRINCIPIO**  
**REGNORVM ET HI-**  
**STORIARVM**  
DISSERTATIO,

qua  
**CTESIAE CNIDII,**  
quem plures adhuc Historici sequuntur,  
**De Assyriorum Medorumque, nec**  
**non Babyloniorum Regibus sententia ex-**  
**aminatur, & vanitatis conuincitur.**

Antea  
**IN ACADEMIA FRIDERICIANA**  
Disputationis exercitio proposita:  
nunc emendatius iterum recusa  
**HALAE MAGDEBVRGICAE,**  
TYPIS CHRISTOPH. ANDREÆ ZEITLERI, ACAD. TYPOG.  
Anno MDCCCIII.



CHRISTOPHUS GELLARIUS

PRINCIPIO

RECTORVM ET HI-

STORIARVM

CELSIAE CRIDII

De Allynorum Medicorumque nes

non Rectorum Regibus Jentium ex-

animum de vana conuictio

IN ACADEMIA CRIDIIANA

HABITA MAREBROICENSI

CHRISTOPHUS GELLARIUS

anno 1688







Ustos veritatis & conseruatrice me-  
morie est Historia, quam iccir-  
co Tullius dixit lib. ii. de Orato-  
re cap. ix *testem temporum, lucem*  
*veritatis, vitam memorie, magistrans*  
*vite, nuntiam vetustatis, que voce ora-*  
*toris immortalitati commendetur.* Vti-  
que dixit consularis vir, quod  
res est, & quod omnes ab Historia sperare decet.  
Nam nisi illa esset, omnia in tenebris immerfa iacerent,  
nec vitæ nostræ superaret, vnde lucem sibi aut consi-  
lium in dubiis rebus peteret. Historiæ enim monimen-  
tis, quidquid illustre vnquam fuit, ad posteros propa-  
gatur, vt ex antiquis casibus de nouis iudicare, & quid  
opus factu sit, sine offensa quisque inuenire possit. Est  
tamen cauendum maximopere, ne fabulas pro histo-  
riis obrudi patiamur, quod, ne pluribus eueniret, le-  
ges historiarum a maioribus nostris latæ sunt, quarum  
prima illa est, quam dicto libro Tullius cap. xv tradit,  
*vt ne quid falsi historia dicat: secundum eam, ne quid vere*  
*non audeat.* Bene cum literarum studiis & cum vitæ ci-  
uilibus institutione ageretur, si ad has leges omnes histo-  
riæ compositæ informatæque essent, vt lucem ex illis  
& veritatem hauriamus, non errores confirmemus.  
Verum, vt cunctis temporibus non defuere, qui leges  
illas posthaberent; sic cum primis sunt antiquissima  
sæcula, quæ historicorum vel ofcitationem, vel prauit-



tatem ingenii ac subleſtam fidem poſſunt incuſare. Cuius vel ſola narratio, quam in præſenti examina- mus, de primis in Oriente imperiis, exemplo luculen- to eſt.

II. Qui inde ab Auguſti ævo ad noſtra vsque tempora hiftorias vel breui ſumma, vel iuſto elabora- toque opere tradiderunt, pæne omnes in eo conſen- tiunt, vt prima in orbe imperia ad Affyriam vel Baby- lonem referant. & quidem eo vsque per longiſſima tempora reducant, vt illud ſæculum, quo orbis ſub- merſus iacuit, quam proxime contingatur. Magnum, quod intereſt, ſpatium longa regum ſerie, quos nomi- natim recensent, tanquam certiſſimi de iis, adimplent: cuius rei certiores rationes plerique ſecuri prætermittunt.

III. Quum vero nihil in hiftoriis pro vero acce- ptandum ſit, quod ex probatis testimoniis non approba- ri confirmarique poſſit: magna nos dubitatio inuadit, an, quæ *de initiis imperiorum* ſunt tradita, ab eiuſcemodi auctoris fide habeantur, vt de iis dubitare non liceat. Sub Auguſto Cæſare Diodorus Siculus & Troguſ Pompe- ius idem tradiderunt, quod Tiberio imperante Vel- leius Paterculis iterauit, ſub Antonino Pio in ſummam contraxit Iuſtinus, quos duces Chriſtiani pæne multi ſequuti ſunt Eusebius, Hieronymus, Auguſtinus, Oro- ſius, Iornandes, quorum veſtigiis inſiſtunt, quotquot hodieque hiftoriarum breuiaria in lucem ediderunt. Nobis vero videtur de antiquis ita temporibus cenſen- dum, vt diuinæ ſcripturæ nihil aduerſum ac repugnans adſumatur.

IV. Nimrodum primum in Oriente regem fuiſ- ſe, ſacræ litteræ; Belum vel Ninum, profanæ tradunt.  
Has



Has vt conciliarent, diuinam & profanam fidem, clarissimi viri non mediocrem operam dederunt, quibus vel idem Nimrod ac Belus est, & Ninus Beli filius; vel Nimrod & Ninus idem: aliis singuli diuersi Nimrod, Belus, Ninus. Non sumus ii, qui vel superstites cordatissimos viros, vel Manes defunctorum sollicitemus: nec possumus tamen, quin veritatis causa, sed illorum bona pace ac salua existimatione, qua nostra sit sententia, liberius aperiamus. Sape enim meritissimi viri doctissimique cum vulgo sentiunt, in re praesertim, qua tot saeculorum consensionem habet. Si qui nominandi sunt, cum honore nominamus M. Z. Boxhornium, cui diuersi sunt Nimrod, Ninus, Belus; coniuncti tamen, & alter alteri succedens. Ab hoc dissentit Io. Conradus Dietericus, vir multae doctrinae & industriae, cui Nimrod, ipse Belus est; Ninus autem Beli filius: cui sententiae etiam Petr. Iosephus Cantelius, in Iustinum Notis anno MDCLXXXVII editis, & in Civilis Historia Vlricus Huberus, vterque vir amplissimus, accessit. Alia opinione fuit Io. Vorstius, multis ingenii monumentis, qua condidit, praecclarus, qui itidem in Iustini primordium, Nimrodum & Ninum eundem habet. Innumeros alios silentio praeterimus.

V. Quae suspectam reddant hanc vulgarem opinionem, dudum etiam in *Historia antiqua* nostra attulimus, obstare *rerum nempe nouitatem*, quum difficile ad credendum sit, altero post cataclysmum saeculo tam potentes, tam populosas nationes, numerososque exercitus in Asia fuisse, ac ab iis non solum vicinos, sed Indos etiam, Aethiopes, & Libyes, & ipsos Sarmatas Europaeos, immani bello petitos esse, quod omnes illos necesse est credere, qui Ninum ac Belum vel eundem



dem ac Nimrodum ; vel proximum illi successione,  
faciunt. Si quis enim apud animum expendit, quan-  
tum Diodorus lib. i r. cap. v exercitum Nino adscribat,  
πεζῶν ἑο μυριάδας, DCC millia peditum; ἰππέων μὲν πλείους  
τῶν ἑμοσι μυριάδων, CCX millia equitum, & ferme MDC ἄρ-  
ματα δεσπανηφόρα, currus falcatos; obstupescendum sane  
est & nimio opere demirandum, vnde tam breui post di-  
luuium tempore, tam paucis ex aqua seruatis, infinita  
hominum multitudo enata fuerit. Ipse Diodorus ἀπι-  
στον, incredibile videri ait: sed fidem purat haberi posse,  
si τὸ τῆς ἀσίας μέγεθος, amplitudo Asiae consideretur. Sed  
quod alia tempestate non indignum fide fuit; altero  
post diluuium æuo, qui credi possit, salua paucitate,  
seruatorum; non equidem nobis apparet.

VI. Paganis scriptoribus ignosci facile potest,  
ignorantibus quippe, quæ cum humano genere, tan-  
tum non inundatione deleto, diuinitus acta fuerant:  
Christianos imitari nos, omnino est, quod admiremur.  
Sed quid non persuadet inueterata opinio, ad sensum ple-  
rorumque, quos Græcia & Latium habuere, approbata?  
Quo autem illi auctore vsi fuerint, & cuius fide innixi;  
hoc demum est, quod excutere atque examinare nunc  
nos oportet. Diodorus Siculus, qui omnium copio-  
sissime de hac re scripsit lib. ii sub init. non semel fate-  
tur, quidquid de Assyriorum rebus tradat, ex Ctesia se  
monimentis depromississe. Is Cnidius homo fuit, captus  
bello, quod Cyrus minor cum fratre Artaxerxe gessit,  
& in Persidem delatus, medicinam ibi per xvii annos  
exercuit. Hic quod inuidia aduersus Herodotum Ha-  
licarnassensem flagraret, historiam scripsit in pleris-  
que illi, quam Herodotus ediderat, contrariam, quæ  
eo cupidius a pluribus recepta fuit, quod ipse, Diodoro  
teste



teste, dixit, *ἑξ ἑκάτων βασιλικῶν διφθερῶν, ex regis membranis* sua omnia edidisse. Hic vero, ut apud Photium Cod. LXXII est, viginti tres libros de rebus Persicis reliquit, in quorum sex prioribus *τά τε ἰσσύρια διαλαμβάνει, res Assyriorum pertractavit*: in ultimo *κατάλογον βασιλείων ἀπὸ Νίνῃ ἢ Σεμιράμιδος μέχρι ἑξαέξου, catalogum regum a Nino & Semiramide usque ad Artaxerxem*, adiecit. Reliquos libros patriarcha Photius excerpfit satis verbose: priores, de Assyriorum rebus, non attigit: summam vero eorum Diodorus & Eusebius non plane nos sinunt ignorare. In duobus autem potissimum consistunt, quæ contra fidem & probabilitatem scripsisse in iis tertur.

VII. Primum est, regi Nino tam *vastum imperium* exstitisse, ut fines eius ab Indo ad Hellespontum; & a Nilo ad flumen Tanaim prolati fuerint, quod cap. I I Diodorus per singulas, quæ his terminis concludebantur, provincias Asiæ nominatim enarrauit. Alterum, quod suspectæ fidei videtur, est *diurnitas imperii Assyriorum*, quod ultra *CI CCC C* annos stetisse Diodorus ex eodem Ctesia cap. XXI I tradit, siue ut Iustinus lib. I. cap. II, *annos mille trecentos*: siue ut Augustinus lib. X VII de Civ. Dei cap. XXI, *mille trecentos quinque*: Velleium, qui lib. I. cap. VI *mille septingentos* habet, quod numerus suspectus multis est, nunc præterimus. Quod si illud est, oportet initium imperii in tempora illa incidisse, quæ terrarum diluuium admodum propinqua fuerunt. Hæc vero repugnare omnino sibi videntur, si nouitatem omnium rerum, quam post diluuium necesse est exstitisse, ad animum reuocamus. Aut enim tam vastum imperium Assyrii primi non habuerunt: aut a diluuiio illius principium per aliquot sæcula proferendum est. Quod si  
fa-



sacræ scripturæ, vt par est, fidem sequemur, non dubitamus vtrumque, quod posuit, eueri posse.

VIII. De paucitate hominum, qui primo post diluuium æuo vixerunt, iam supra memorauimus, non potuisse eius numeri esse, vt tot prouinciis frequentissime incolendis, & tot bellis, ac exercitiis, quantos Ninus collegisse fertur, vel mediocriter suffecerit. Qui ergo Ninus potuit vel ipse Nimrod, vt quidam credunt, vel Nimrodi seu Beli (nam pluribus idem Belus qui Nimrod) filius & successor esse? In numero prouinciarum, quas Ninus tenuisse, fertur, Diodorus etiam Syriam & Phœnicen recenser, nec non Aegyptum & omnem Asiam citeriorem. At vero patriarcharum tempore non vnus monarcha erat Asiæ, sed Babylonia suum regem habuit; habuit & Elam siue Persis: habuit Aegyptus, nec aliis regionibus sui reges vel reguli defuerunt. Hi bella inter se mutuo gesserunt, & omnia egerunt arbitrio suo, quod satis argumentum est, illos non satrapas aut vnus præpotentis in Asia regis clientes fuisse, cuius ne nomen quidem vel ipsi vel sancti patriarchæ, quantum ex sacra historia constat, inaudiuerant. Iosua Cananæis Palæstinam eripuit, gentes illius ad internectionem cecidit; Amalekitæ, Moabitæ, Midianitæ quos tumultus, quæ bella excitarunt? quot prælia David cum Syris ad Euphratem commisit? nullus tum in Assyria supremus dominus fuisse legitur, qui tantos motus, in regno suo concitatos, comprimeret atque sedaret, qui tamen, si fuisset, tantos tumultus, tot prælia & suorum clades haudquaquam ferre debuisset.

IX. Asiam antiquitus suos reges habuisse non negamus: hos vero plures vno tempore, & singulos non



non maximarum regionum dominos fuisse, & res ipsa docet, & historiae etiam sacrae commonstrant, e quibus illud utique certum & extra omnem dubitationem est, Assyrios reges Euphratem non transiisse legi, antequam Ahafi rogatu Tiglatpilefar, Rezeno eiecto, finem regno Damascenorum attulit. Quod vero ad numerum annorum & diuturnitatem imperii pertinet; malumus cum Herodoto & Appiano Alexandrino facere, quam cum fabuloso Ctesia, eiusque sectatoribus, vanitate hominis imprudenter, ut videtur, decepris. Herodotus, scriptor fide dignissimus, lib. i. cap. xcv tradit, Assyrios regnasse vsque ad Medorum defectionem *ἕξα ἑκοσι καὶ πεντακόσια*, per annos *quingentos & viginti*, quod cum Appiano in praefatione conuenit, quum Assyriorum, & Medorum, & Persarum *τῶν μεγίστων ἡγεμονίας*, tria maxima imperia nondum tempus *ἑξακοσίων ἔτην*, *cccc annorum*, ait compleuisse. Noti sunt anni Persarum, *ccxxx*, ut Scaliger computauit, nec dubii admodum Medorum, quasi demuntur, non vltra quingentos pro Assyriis relinquere necesse est. Quae sententia quod nihil habet, sacris scripturis repugnans; omnino praefendam Ctesianae & vulgari ducimus, tot difficultatibus & absurdis rationibus implicatae.

X. At magnam Ctesiae auctoritatem apud Graecos fuisse, paene multi obiiciunt. Non negamus, sed eo facilius credimus, quod etiam errores atque fabulae suos patronos inueniunt, quae saepe tenacius apprehenduntur, quam ipsa simplex veritas. Minus de fide eius dubitarem, si apud antiquos cordatiores conseruare illam potuisset. Sed quam grauis fuerit, quam fide dignus; & Aristoteles, & Plutarchus, & Antigonus prodiderunt. Iste lib. viii Histor. Animal.



mal. cap. xxviii Ctesias, inquit, ἐκ ὧν ἀξιοπίστως, nota est fide dignus: illi in vita Artaxerxis pag. 1014 πρὸς το μωθῶδες καὶ θεαματικὸν ἐπιτροπέμεν τῆς ἀληθείας, a veritate ad fabulas conuersus dicitur, cui etiam ibidem p. 1017 λαμπρὸν ψεῦσμα manifestum mendacium imputauit: hic, in H. st. Paradox. xvi, de Ctesia, αὐτὸν πολλά ψεύδεσθαι, eum multa mentiri, non veritus est scribere. Qui ergo in aliis sublesta fidei fuit, num tuto illum in antiquissimis rebus sequemur? in iis etiam, quæ vidit & quibus interfuit, dissentit sæpe numero ab aliis, qui pariter cum Persis conuersati erant, & omnium curationem notitiam habere potuerunt, vt de Xenophonte, qui Cyro minori militauit, a Photio d. l. obseruatum fuit. Ait enim principio ex Ctesia Excerptotum: οὐχ Ἡροδότου δὲ μόνω τάναντία ἴσθησι, ἀλλὰ καὶ πρὸς Ξενοφῶντα τὸν Γεῦλαι ἐπ' ἐνίων διαφανεῖ, non Herodoto soli contradicit, verum etiam in aliquibus a Xenophonte discordat, quem vero vt peritissimum rerum Persicarum omnes semper laudauerunt.

XI. Nec maior illius fides in locorum descriptione. Exemplo sit Ninus, vrbs omnium quondam circuitu amplissima, ciuium numero maxima. Hanc Plinius lib. vi. cap. xiii ait Tigri impostam fuisse: perinde ac Herodoto lib. i. cap. cxliii παρὰ τὸν Τίγριν Νίνου πόλις οὐκ αὐται, Ninus vrbs ad Tigrim sita est: & Straboni ineunte lib. xvi ἐν τῇ Ἀσσυρία, in Assyria, pro motu gentis in mutato, quod frequens in hoc verbo est apud Syrum & Targumistas: clarius Byzantio illi Stephano, populorum & vrbiū diligentissimo scriptori, πόλις Ἀσσυρίων, ciuitas Assyriorum, quamquam & ipse addit ἐν Ἀσσυρία. Mirum vero, Ctesiam Cnidium, qui tot annos in Persia versatus fuit, Ninum, non Tigri, sed Euphrati adpositam dixisse, vt apud Diodorum cap.



cap. III lib. II. est. Vir quidem amplissimus [Viricus Huberus Hist. Ciuil. lib. I. sect. IV cap. III, vt' in ceteris, ita & in hac caussa defendit Ctesiam, quod alia Ninus ad Tigrim, alia, & *vetus* cognomine, ad Euphratem sita fuerit, cuius Philostratus lib. I. Vitæ Apollonii cap. XIII, & Ammianus lib. XIV cap. XXVI meminerint. Est ita; Philostratus inter Antiochiam & Zeugma quandam ἀρχαίαν Νίωσιν memorat, *Ninum veterem*, sed Ammianus addit *Hierapolim* esse, quæ id nomen antiquitus obtinuerit. Verba hæc sunt: *Prima post Osdroenam, Commagena clementer adsurgit, Hierapoli vetere Nino, & Samosata, cauitatibus amplis, illustris.* Vbi Valefius p. 42 adnotauit: *Scribendum est absque virgula, HIERAPOLI VETERE NINO, vt eadem vrbs sit, quæ Ninus olim cis Euphratem, & Hierapolis appellata fuit.* Hierapolis autem, quam Ptolemæus lib. V. cap. XV. in Cyrrestica ponit, ad Commagenem ab Ammiano refertur, quia in vtriusque confinio quasi sita fuit. Non autem illam Ctesias, vel Diodorus hunc sequutus, intellexit, quia non ad Euphratem sita fuit, sed longius ab eo reducta, & quidem, vt Strabo lib. XVI pag. 515 tradit, ὑπέκπυεταί τῷ ποταμῷ ἑξ ὀνόσεως τῆς Ἱερὰπολις διέχουσα, *sita est trans fluiuium (venientibus ex Mesopotamia in Syriam) quatuor schœnorum spatio remota.* Schœnus autem Herodoto lib. II. cap. V. I. habet *sexaginta stadia*, quæ fere duo Germanica milliaria conficiunt, vt adeo Hierapolim octo milliariis nostris ab Euphrate abfuisse oporteat. Præterea vrbs hæc, quamquam *capacissima* Ammiano Marcellino lib. XXIII cap. IV. dicta, tantæ amplitudinis haudquaquam fuit, quantam Ctesias & Diodorus Siculus suæ Nino dant. Præstat igitur errorem vtriusque scriptoris agnoscere, quam *veteris Nini* mentione eosdem excusare.



XII. Ab vrbe ad regionem venimus. Supra dictum,  
 Ctesiam Ninj imperio omnem Asiam ab Hellesponto  
 ad Indum flumen subiecisse, quod ita amplum succes-  
 fores etiam possederint. Cum stupore enim legimus,  
 quæ lib. II cap. II. Diodorus Siculus, imperii fines, &  
 prouincias enarrans, tradidit. Aliter cordatiores de an-  
 tiquis Assyriis sentiunt. Dionysius Halicarnassensis  
 principio operis: ἡ Ἀσσυρίων ἀρχὴ ὀλίγῃ τι Ἐκράτησε τῆς  
 Ἀσίας μέρος, *Assyriorum imperium modicam quandam Asiae par-  
 tem obtinuit.* Quænam illa fuerit, Herodorus lib. I.  
 cap. XCv manifestauit. Ἀσσυρίων ἀρχόντων τῆς ἀνω Ἀσίας  
 ἐπ' ἕτα ἕκαστοι καὶ πεντακῶσια πρώτοι ἀπ' αὐτῶν Μηδοὶ ἤρξαντο  
 ἀπὸ τῆς ἀσσίας. *Quum, inquit, Assyrii in superiori Asia dxx an-  
 nos regnassent, ceperunt Medi ab illis descere.* SUPERIOR  
 autem Asia est septentrionalis, ab australi, hoc est Ba-  
 byloniæ regno distincta, nec probari potest, Assyrios re-  
 ges Babylonem semper in ditione tenuisse, quam sapi-  
 us reges proprios habuisse constat. Est ergo superior  
 Asia, quam Dionysius Periegeta vers. 1014 dicit ὑπὲρ Βα-  
 βυλωνῶν, ἐπὶ τῶν ἰσθμῶν Βαβυλωνῶν, supra Babylonem, ad orientem aequi-  
 tonis. Neque Assyrii, sed Medi fuerunt, qui superioris  
 Asiæ fines, in occasum versus ad Halym vsque annem  
 prolatarunt, quod ex Lydorum historia, qui cum Me-  
 dis de finibus certarunt, luculenter ab Herodoto pro-  
 batum est. Vide lib. I. cap. CXXX. Qui ergo Hiero-  
 nymus in Hoseæ cap. II, & ipse Ctesiam sequutus, pro  
 certo adfirmare potuit, *primum omni Asia regnasse Ninum,*  
*idque omnes & Græcas & barbaras historias narrare?* Id OM-  
 NI enim hausit ex Ctesia Græco, quem alii magno  
 numero sequuti sunt; & ille ex barbaris Perfarum an-  
 nalibus se sua expromississe scripsit.

XIII. Vix ergo aliquid certum de Assyriorum impe-  
 rio habemus, præter pauca illa, quæ sacris pandectis in-  
 sper-



sperfa videmus: quum nullæ antiquiores historiæ ex-  
 stent, & Græci demum sub Perfarum imperio ad scri-  
 bendum se contulerint. Nota sunt omnia *Phul, Tiglat-  
 pilefar, Salmanassar, Senacherib, Asarbaddon*: qui his addun-  
 tur, dubii omnes & incerti adeo, vt magnam illam Sem-  
 miramidem, quam Diodorus & Iustinus cum Ctesia in  
 cælum tollunt, illustris Vosius lib. I. de Idolol. cap.  
 xxiiii vnquam fuisse dubitet. Herodotus quidem lib. I.  
 cap. CLXXXIV Semiramidem laudat conditricem molis,  
 qua Euphrates, ne damnum Babylonii ferret, coerceba-  
 tur; sed hæc in Babyloniiis regibus, non in Assyriis, nu-  
 meratur, qui in Asarhaddone, aut paullo post, videntur  
 defecisse. Quod si omnino Assyriorum fuit, & alia ab  
 illa Babylonia; non tamen tam antiqua fuit, vt ad Nim-  
 rodi tempora recedat, id quod supra euicimus: & olim  
 etiam dubitarum fuisse, aut aliter creditum de ætate fa-  
 mosæ illius Semiramidis, Porphyrius apud Eusebium  
 Præpar. Euang. lib. I. cap. vi p. 31 memorauit. Quum  
 enim *Σεμυράμειος τῆς Ἀσσυρίων βασιλίδος, Semiramidis Assyrio-  
 rum regine* meminisset, subiungit: *ἢ πρὸ τῶν Ἰλιακῶν, ἢ κατ'  
 αὐτῆς γε τὰς χεῖρας γενέσθαι ἀναγέγραπται, quam Troianis tem-  
 poribus vel antiquiorem, vel æqualem fuisse scripserunt.*

XIV. Misfis itaque fabulis atque incertis traditioni-  
 bus, de Assyriaco regno sentimus ea, quæ sacris scriptu-  
 ris sunt probata, aut eisdem non videntur repugnare.  
 Quo etiam euerfionem eius regni referendam duci-  
 mus. Qui ad Nimrodi vetustatem reieftant, quamuis  
 longam ex Ctesia regum seriem constituunt; tamen  
 plerique Medorum defectionem ante reges illos po-  
 nunt, quos sacra nobis litteræ prodiderunt: quod ea-  
 rundem fide nobis aliter existimandum est. Nam quum  
*Salmanassar* Israëlitas in captiuitatem abduxit, *בְּעָרֵי מְרַי*  
*in urbibus Medie* II. Reg. xvii, 6. locasse illos dicitur, quod



infallibili argumento est, illo tempore Mediam in potestate Assyriorum adhuc fuisse. Nec aliter Iosephus tradit, cum de Israelis deportatione sub Salmanassare, tum de exilio Damascenorum sub Tiglatpileasare; quam istos abductos fuisse *εις την Μηδίαν & Περσίδα, in Mediam & Persidem*, lib. IX Antiquit. c. XI V; hos *εις την άνω Μηδίαν, in superiorem Mediam*, ibidem cap. XIII; & ex Media quoque reducos novos colonos, qui in Samaria habitarent. Cuthæos enim, siue novos Samaritanos, ait lib. X cap. XI *πρότερον ενδοτέω της Περσίας & της Μηδίας, prius in interiori Perside ac Media fuisse.*

XV. Tandem dispiciendum est, quibus argumentis vtantur, qui Ctesia fauent & pro fide eius, pugnant. Primum ducunt ex vrbis Nini antiquitate, quæ conditoris præ se nomen ferat. Ergo Nini cum Semiramide ad prima vsque tempora, quæ diluuium sequuta sunt, reducendum esse. Quibus Ninus est ipse Nimrod, sibi in hac causa vicisse videntur, quod sacer scriptor a Nimrodo Ninum conditam *Gen. X. ii.* tradat: ceteri a Nimrodo cæptam ædificari, a Nino filio consummatam nominatamque esse sibi persuadent. Nos antiquitatem vrbis non negamus, licet non certissimum putemus, eiusdem ætatis etiam nomen esse, quod ex anticipationis figura, vt sæpe fit, dicto loco habuisse potest. Nec Niniuen a Nimrodo extructam esse apud omnes æque certum est, quum *Assur* ibidem Syro, Onkelosio, & Hierosolymitano, & R. Salomoni, sit viri nomen, non regionis, quod quidem multis verbis doctissimus Bochartus lib. IV Phaleg cap. XII impugnat, cuius rationes non contemnendas ducimus; nec tamen inficias imus, intolerandam ellipsin vel  $\pi$  localis, vel præpositionis  $\eta$  videri, vt sensus eliciatur, *Nimradum in Assyriam ex Babylonia profectum, urbem Niniuen condidit.* Adi Iac. Perizonii V. C. Dissertat. II de Orig. Babylon. Sed quoquo seres modo habet, nec historię derogatur, neque vrbis antiquitati, siue Nimrod, siue Assur illam condiderit: nomen etiam posterius esse potest, quamquam impositum ante Moysis tempora: quod illis etiam sentriendum est, qui Nimrodum auctorem vrbis dicunt, Ninum autem ab Nimrodo vt filium distinguunt, vel Belum etiam interponunt.

XVI. Sed non est nostri instituti, nouas dubitationes proferre, qui



qui largiri etiam possumus, quæ vulgo prætenduntur, vt tamen sententia nostræ vix aliquid derogetur. Sit Nimrod Belus, sit Ninus eiusdem filius, & huius vel vxor Semiramis, vt vulgo creditur; vel filia, vt Conon apud Photium Cod. clxxxvi tradit: sint hi, qui & Babylonem, & Nineuen, & alias vrbes condiderint: necesse tamen, condidisse pro temporum illorum conditione: imperasse quoque, vt primo ævo potuerunt, non infinitis gentibus, quæ nondum enata erant; & belligerasse pro indole ætatis istius, quæ rudis ad resistendum erat; non exercitibus immensis vsos, qui necdum in orbe fuerunt; nec cum populis disiunctissimis, sed cum gentibus vicinis, & vt temporum illorum ferebat ratio. Si enim Assyrii reges, orto Israelis regno, nondum limitem Euphratis transgressi fuerunt, quid de antiquis temporibus censeamus, & de regnorum initiis, quæ semper parua sunt, & longo die demum in ampliorem potentiam excrescunt?

XVII. At opera, stupenda sane, prostabant, quæ de magnitudine conditoris vel conditricis testabantur, vt muri erant Babylonii, & ipsa vrbs splendidissima Babylon, & amplissima Ninus siue Nineue, & quæ alia ornamenta quondam Oriens tenebat, quæ Belo, Nino, Semiramidi a pluribus vindicantur. Verum nec hæc nos de sententia demouere possunt. Si fuerunt illi reges, qui vulgo laudantur; origo illis vrbiū, non summa ornamenta debentur, quæ rudis illa ætas nondum capiebat. Vnam molem tentasse scimus, excelsam turrim siue munimentum, non autem perfecisse, Deo interuertente insolentia conatum. Muros Babylonios, & hortos pensiles Semiramidi tribuunt, vt ipsam vrbeū aut arcem Belo, quem Nimrodum putant. Ammianus Marcellinus lib. xxiii cap. xx ed. Græc. *Babylon, cuius mania bitumine Semiramis struxit: arcem enim antiquissimus rex condidit Belus.* At Berosus, vetus rerum Chaldaicarum scriptor, apud Iosephum, lib. i, contra Apionem pag. 1045, *μέμερται ἑλληνικαῖς συγγραφεύσι, reprehendit Græcos historicos, qui perperam credidissent & Babylonem, & ornamenta eius a Semiramide, Assyriorum regina, fuisse: ipse Nebucadnezari & muro, & alia ornamenta adscribit, quod Eusebio iudice lib. ix Præparationis Euangel. cap. xli, cum Daniel. IV. v. 27 consentit: & ibidem sub Nabonnedo, quem Darium Medum propheta vocat, τὰ περὶ τὸν ποταμὸν τεῖχη τῆς βαβυλωνίων πόλεως, aliam partem*



partem murorum iuxta Euphratem ait constructam fuisse. Hortos pen-  
files, *αρεμας ες παραδεισους*, Abydenus, æque antiquus scriptor, apud  
Eusebium dicto loco, eidem Nebucadnezari, tanquam auctori, ad-  
ferit.


XIIX. His etiam abunde responsum ad cetera videtur, quæ pro  
Ctesia auctoritate adferri vulgo solent. In eo enim pleraque vertun-  
tur, quod Nimrod idem qui Belus sit, & Babylonis ac Nineues regna  
sub idem tempus coeperint. Hæc enim de parvis regnis concedimus  
facile: de maximo & omnem Asiam occupante, hoc est quod dubi-  
tamus. Assyriaco enim amplissimo regno, quod Ctesia describit,  
quanta regna per Asiam opponi possunt? Amraphelis in Babylonia,  
Elamitarum in Persia *Gen. XIV. v. 1.* Pharaonum in Aegypto, Damaſce-  
norum in Syria, Lydorum in Asia cis Halym amnem, quæ potentis-  
sima singula erant, nec subiecta monarchiæ Assyriorum, vt de minori-  
bus etiam, quale Israelitarum fuit, & obscurioribus, quæ circa Palæsti-  
nam erant, supra num. IIX luculenter probauimus. Non er-  
go vna monarchia temporibus illis in Asia fuit, nec qui Assyria-  
cam ita appellant, negare possunt, cum Medos ab illa defecisse, tum  
Babylonios; quæ duo imperia satis diu & vnus quidem temporibus in  
Asia floruerunt, quod sufficit infringendæ appellationi vnus, solitarii  
& maximi in Asia imperii. Qui ex sacris monarchiarum nobiliorum  
numerum confirmant, vix habent, quos ante Nebucadnezarem, aut  
Babylonios antecessores, allegent, licet his facile concedamus, & an-  
te Babylonios illos reges, in Assyria fuisse, qui potentia & opum ma-  
gnitudine Nebucadnezari non dissimiles existerunt.

XIX. Tum enim Babylonem Orientis potestas, quam Assy-  
riorum decreuisset, collata omnis vel plurima fuit, auctore Nabonassa-  
ro, qui videtur Baladan esse, in sacris voluminibus laudatus, a quo per  
successores ad Nabopolassarum, Nebucadnezaris patrem, deuoluta fuit,  
cuius successores ad Cyrum Persam vsque, tam ex sacris, quam ex Be-  
rosi & Abydeni historiis, ab Iosepho & Eusebio enucleatis, non pos-  
sumus ignorare. Horum successione, & quos alios historia certius  
enarrat, adolescentium mentes & ingenia maiori cum fructu,  
quam fictis Ctesia nominibus, exerceri eru-  
dirique iudicamus.











AB: 191024

ULB Halle  
002 412 144

3




sb

VD77











CHRISTOPHORI CELLARII,  
Histor. Prof. P.  
De  
**PRINCIPIO  
REGNORVM ET HI-  
STORIARVM**

DISSERTATIO,

qua

**CTESIAE CNIDII,**  
quem plures adhuc Historici sequuntur,  
**De Assyriorum Medorumque, nec  
non Babyloniorum Regibus sententia ex-  
aminatur, & vanitatis conuincitur.**

Antea

**IN ACADEMIA FRIDERICIANA**

Disputationis exercitio proposita:  
nunc emendatius iterum recusa

**HALAE MAGDEBVRGICAE,**

Typis CHRISTOPH. ANDREÆ ZEITLERI, Acad. Typog.

Anno MDCCCLIII.